

~~FK 74~~
F.V. 51. II

(X2044467)

Bernhardi

Za
2140 18.

EPICEDIA,
VIRO
Nobilissimo, Doctissimo, nec non Honoratissimo
DOMINO
CHRISTOPHORO
BERNHARDI,

Sereniss. Elect. Sax.
CAPELLÆ MAGISTRO,
olimqve
INFORMATORI
meritissimo,

d. 22. Novembris 1692.

ultimi honoris ergo
scripta,

à

Ministeriis Aulico & Urbico
Collegioq; Scholastico Dresdensi.



DRESDÆ,

In Officina Typograph. Elector. Saxon.
Exscribebat Immanuel Bergen.

AnnA





Pincipibus dilecte viris, dilecte Ca-
 mœnis
 BERNHARDE, & Charitum
 Pieridumq̄ve Decus:
 Occidis, & tecum præclara scientia
 rerum,

Quæ poterant doctos exhilarare, perit.
 Tu noras cautes modulis & saxa movere,
 Atq̄ve Amphioniâ ducere corda lyrâ.
 Te dolet Enfiteri defunctum Principis aula,
 Et resonans adytis Musica dia sacris.
 Nunc templum mutas, hymnosq̄ve per atria cœli
 Angelicos Agni concinis ante thronum.

Συμπάτριαν testari
 cupiens scribeb.

SAM. BENED. CARPZOV, D.



Ad Patriam properat BERNHARDI, Palla-
 de factus
 Musicus insignis, Melpomenesq̄ Decus.
 Ad Patriam venit, dum nobilis incola cœli
 Factus, habet Patriæ nunc Politevma suæ.
 Ab felix properat Patriam manciscier istam
 Quisquis, is in cœlis Sympatriota Dei.

Ultimo honori beatissimi DN. BERNHARDI

^{P.}
 M. Joh. B. Freiesleben/ Seren.
 Elect. Sax. Conc. Aulicus.

Anni



A Nni sub finem, præclarum lumina Lumen
 BERNHARDI claudit, sed simul omne malum;
 Incipit econtra, quæ Christus morte paravit,
 Vitæ post finem, gaudia læta Poli:
 Ergo gratari præstat, quam flere, Beati
 Exodium felix, auspiciūque bonum.
 Nam sortem egregiam, quæ spes sua, nactus utro-
 que est:
 Interea moestos erigat ipse Deus.

*M. Joh. Ernst Herbig^{f.} Ser.
 Elect. Sax. Eccl. Aul.*

E Xtulerat Clario TE, Vir celeberrime, in Orbe,
 PRINCIPIBUS carum reddideratque Viris:
 Ingenii vis alta TUI, complexa stupendum,
 Ingeniò quicquid fas pretiumque capi.
 Eusebiæ patuere TIBI, patuere Themistos
 abdita, cum Sophiæ Pieridumque sacris.
 Et Lingvas avidâ penitus tot mente tenebas,
 natas Eois Hesperiiisque plagis.
 Extulit imprimis, velut Orphea, Musica, TEMET,
 SAXONIS & fecit ritè præesse Choro.
 At mage TE Pietas IUA (nunc ferme exul in Au-
 extulit, & carum reddidit illa DEO. lis.)
 Terrenam hanc igitur linquentem evexit in Aulam
 Ætheream, supero junxit & illa Choro.
 Atque ibi cum Sanctis jam læta voce triumphans,
 non hîc auditum, nobile pangis Epos. †

† Allud. ad text. funebr. Apoc. XIV, 2.3.

Scribebat collugens Virtutum B. Def.
 Admirator

Bernh. Schmidt / ad B. Virg.
 & S. Cruc. Dresdæ Ecclesiastes &
 Ministerii Senior.

(2

For-

Formator olim Principum Juventutis
 Morumque tantâ excelsitate dignorum;
 Mox inter ipsas arbiter chori Musas
 Amæni, ipsarum & corculum Camænarum
 Qvas Graja tellus, qvas Latina produxit;
 Qvæ fonte labra proluunt Sionæo;
 Promusque Condus omnium profanarum
 Antiquitatum, dum fuit, Sacrarumque;
 Nunc ad Supremi Principis choros latus
 Inter beatos personat Cherubinos
BERNHARDUS Agno Canticum triumphale.
 Dolete Musæ: Liberata sed gaude
 Mens fece pravâ & voce dissonâ mundi,
 Et æviternas Consona Deo laudes.

Raptim, sed ex debito

f.

M. Paulus Bose/ Archid.

*****:*****

BERNHARDI exequias itur. Concurrite; ducet
 Pullum agmen PIETAS, CANDOR & alma FIDES
 Philosophi, Historici, Vates, Assaphica Virtus,
 Critici, ut & majus scibile qui legitis!
 Et Tu, Linguarum Cultor! qvas Eurus inaudit,
 Austere & Zephyrus, vel rigidus Boreas.
 Vester, adeste! fuit; ne inhonoros linquite Manes,
 Sparge levem terram quisquis es! est meritus.
 Unus habet quondam secum, quod, credite, plures
 Divisum nitide condecorare queat.
 Enthea mens cælum petiit: quam cantica gaudet
 Seraphicos inter trina sonare Choros!
 Fama parentabit. Nos membra quieta precamur
 Dum surgant animæ restituenda sua.

Honoratiff. Famil. lugenti divinam solatium exoptans

f.

*M. Johannes Seebisch/ Cygnéus,
 ad S. Crucis Symmysta.*

Qvos

QVos Itali celebrant, quos Germanique Choro-
rum

Princeps effertur celebris nunc harmonicorum.
Ortus & Occasus lingvas, quæ verba loquuntur,
Cum numero innumerò rerum Mens ista sciebat.
Inde Viris gratum se præstitit arte supremis,
Quò quoque dexteritati ejus concredita summa
Spes fuerit Patriæ. Levis haud jactura vocanda,
Quam fert tantorum mors deploranda Virorum;
Maxima, quam Vidua & Soboles orbata queruntur.
Omnibus ex animo precor his solamina Jovæ.

*Supremis Viri celeberrimi, Affinis ac
Fautoris magni honoribus
f.*

M. Joh. Henricus Kühn.



BERNHARDI moritur! Sic est; sed corpore tantum
Decretæ mortis falce metente cadit.
Ast famâ vivit, magnum & memorabile nomen
In terris linquens, MUSICUS EGREGIUS.
Vivit & in cælis animâ, quæ suaviter hymnis
Angelicis Jovam vivificum celebrat.
Mitiget hæc lacrymas ratio. Deus optimus, opto
BERNHARDI servet cum VIDUA SOBOLEM!

Raptim addeb.

M. Johannes Georg Hahn.

Dum petit æthereas Bernardi Spiritus auras,
Phœbus lugubri tempora fronde tegit.
Heu! periit quicquid Latium possedit & Hellas,
Inquit suspirans, hoc pereunte Viro,
Quicquid Iber, Gallus, Turcus, Judæus, Arabsq;
Assyrius quicquid voce decoris habet.

Pieri-

Pierides jungunt istos cum murmure questus:
Qvis nunc in numeros verba coacta dabit.
Læto at Coelituum coetus plausu implet Olympum,
Quod mens cœruleo reddita diva Polo.

*Supremis honoribus piè in Domino defuncti
appos.*

M. Christianus Augustus Hausen/
ad d. Crucis Diacon. & ad d. So-
phiae Eccles.

TUMULUS.

DArva mora est, properans paulum subsiste
Viator,
Et lege quæ tenet hic disticha pauca lapis:
Flos & amor vatum jacet hic BERN-
HARDUS, & olim

Pectora quò libuit flectere voce potens;
Utq; Orpheus alter torrentes arte morari,
Atq; truces cantu detinuisse feras.
Nunc premit excelsi radiantia sidera cœli,
Inq; choro Angelico plectra canora movet.
Fama sed Arctois & Eois didita terris,
Ut meruit, tantum tollit ad astra Virum.

*Supremis honoribus, ingenii doctri-
naq; laude, munerumq; amplitu-
dine clarissimi Viri, Dn. Affinis sui
plurimum honorandi, contra vo-
tum p.*

Jonas Gelenius, Cruc. Rector.

Musicus equânâam poterit ratione placere
Rite Deo? Cujus vitaq; voxq; pia est.
Hinc Augustinus * candorem aptari canori
Nos docet, ut fiat Musica grata DEO.
Nam bene qui cantat, sed non bene vivit, amorem
Cœlestem canor huic conciliare nequit.
Sicq; ubi finitur, nobis tandem tonus ipse
Harmonici cantus perspiciendus erit.

Vix-

* Tom. XIII. in Pf. 49 p. 327. Vide, ne vivas malè & cantes bene,

Vixti, BERNHARDI, juncto cantore canori,
Vitam Te dignam laudeq; conspicuam.
Ergo poli verè praeludia sancta salutis
Sunt Tua quæ nobis carmina Musa dedit.
Quò sit nostra tua mens menti congrua, voxq;
Nostra tua voci consona, JOVA duit!
Sic vox lætitiæ nostræ resonabit in aure,
Cum nobis leti sunt subeunda juga.

Supremis ^{v̄s} Manasir̄s honoribus scribeb.

M. Johannes Srenkel/
Cruc. Colleg. Tertius.

Rarescunt veteri plectro quæis ludere cordi;
Clarescunt modulis cantica nostra novis.
Neve Stylum curas veterum, nec cantica nostra;
Gaudet Finalis clausula Fine suo.
Ecce! Novum Carmen, quod nullum terminat ævum,
Misit in os Servi fidis JOVA sui.

Jacob Beutel / Cant.

Επιτύμβιον

Qui facundus erat; cui carmine vena benigna;
Qui Themidos mystes; Tullius ore fuit;
Philologus probus & Lindò excellentior; ingens
Delitium Regum, Gloria magna Ducum;
Urbi non uni, toti notissimus orbi
BERNHARDI mæsto conditur hoc tumulo.
Cælesti fruitur mens ejus lætior aulâ,
Atq; Abrahæ lautis vescitur ille cibus.
Agmine cumq; sacro ter-sancti Numinis usq;
Ter-sanctum nomen laudis honore canit.

Ex Officiò
Daniel Köhler / Lic. Cruc.
Collega V;

La 21/40 A

Disce mori: Ferinè totum fraus obruit Orbem,
Perversum mundum despice, vive DEO.
Hoc omni *Noster* studuit ratione *Beatus*,
Ritè mori didicit, coelica regna petens.

*Ultimi honoris ergo
deproperabat*

Georgius Heinrichus Mahler!
Schol. Cruc. Colleg. VI.



Musicus occubuit, palmam Sirenibus ipsis
Præripiens, Siculas quæ coluere plagas.
Applorant Musæ, justis Clothoqve querelis
Incusat Lachesis, mox Lachesisqve feram
Atropon; Exclamant: BERNHARDI lugeat
omnis

Fata, animiqve pias carmine plangat opes.
Sed quid opus planctu? Cœlesti vivit in arce
Musicus edoctus psallere voce novâ.

f.

*M. Christianus Kloss! Lycei Coll.
& Alumnor. p. t. Regens.*



PK 74
F.V. 57. II

(X2044467)

Za
2140 18.

Bernhardi

EPICEDIA, VIRO

Nobilissimo, Doctissimo, necno

DOMIN

CHRISTOP BERNHA

Sereniss. Elect.

CAPELLÆ MA

olimqve

INFORMAT

meritissimo,

d. 22. Novembris

ultimi honoris e

scripta,

à

Ministeriis Aulico

Collegioq; Scholastic



DRESD

In Officina Typograph. Elector. SAXON.
Exscribat Immanuel Bergen.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)